

## CXCVI.

*Anno 1599. die 17. Maji Pragae.*

**Rudolphus Rex SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae provocat, ut in sua diaeta Confiniis Slavonicis provideant.**

Rudolphus secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex &c. Magnifice fidelis nobis dilecte. Quantopere necessarium sit, ut Slavonicis Confiniis rite provideatur, id tibi exacte constare non ambigimus. Cum autem id sine Regni illius nostri communibus auxiliis et subsidiis fieri nequeat, omittere in presenti rerum statu et summa necessitate non potuimus, quin fidelibus Regnorum nostrorum Croatiae et Slavoniae Statibus et Ordinibus, qui forte nunc in peculiari suo Conventu de veteri more et consuetudine congregati erunt, dictorum Confiniorum miserum statum speciali nostro Decreto ob oculos statueremus, et ad eum in melius reformandum et redigendum ipsorum quoque necessaria auxilia benigne expeteremus. Quare Fidelitatem tuam clementer hortamur tibi que firmiter committimus et mandamus, ut dictis Statibus in primitus futura eorum Congregatione adiunctum Benignum Decretum nostrum non solum bonis et ad hoc congruis modis proponere, verum etiam apud eosdem auctoritate, prudentia ac dexteritate tua, qua potes, efficere velis, ut pro sua coniugumque et liberorum suorum salute et permansione, bonorumque suorum conservatione, dictis Confiniis modo meliore prospicere, et necessaria sua auxilia prompte ac benevole ad illa conferre, nostraeque benignae postulationi, uti obediens subditos decet, effective respondere et satisfacere velint. Executurus in hoc benignam voluntatem nostram; tibi que Gratia nostra bene propensi sumus. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima septima die Mensis Maii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo nonagesimo nono.

Rudolphus m. p.

Himmelreich m. p

Tenor Indorsationis:

Magnifico Joanni Draskowyth de Trakostyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano et Consiliario nostro &c. &c. Fidei nobis dilecto.

Agramb von Gräz aus.

*(Sigillum Regium ab extus appressum.)*